



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

I. De Arianis non rebaptizandis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

*Siricius Himerio Tarragonensi episcopo salutem.*

**D**IRECTA ad decepsorem nostrum sanctæ recordationis Damasum fraternitatis tuæ relatio, me iam in sede ipsius constitutum (quia sic Dominus ordinavit) inuenit: quam cum in conuentu fratrum solicitius legeremus, tanta inuenimus, quæ reprehensione & correctione sunt digna, quanta optaremus laudanda cognoscere. Et quia necesse erat, nos in eius laboribus curisque succedere, cui per Dei gratiam successimus in honore, factō, ut oportebat, primitus meæ prouectionis indicio, ad singula (prout Dominus aspirare dignatus est) consultationi tuæ responsum competens non negamus: quia pro officii nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium qui grauantur: quinimo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit & tuetur heredes.

I.

Prima itaque paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis, plurimos ad fidem catholicam festinare, & quosdam de fratribus nostris, eosdem denuo baptizare velle, quod non licet: cum hoc fieri & Apostolus *Ephes. 4.* vetet, & Canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium, missa ad prouincias a venerandæ memoria prædecessore meo Liborio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Nouatianis, aliisque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per inuocationem solam septiformis spiritus, episcopalis manus impositione, catholicorum conuentui sociamus. Quod etiam totus oriens occidensque custodit: a quo tramite vos quoque posthac minime conuenit deuiare, si non vultis a nostro collegio synodali separari sententia.

II.

Sequitur de diuersis baptizandorum temporibus, prout vnicuique libitum fuerit, improbabilis & emendanda confusio, quæ a nostris confacerdotibus (quod commoti dicimus) non ratione auctoritatis alicuius, sed sola temeritate præsumitur, ut paſſim ac libere natalitiis De consecr. distinct. 4. Non ratio- ne aucto.

*Concil. Tom. 3.*

H h h